



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se
præstitam servare reculat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

subistente huiusmodi impedimento, contrahi non poterit. Sic presentatus ad Ecclesiam ab eo, qui in possessione erat juris patronatus, non remouetur, licet presentans postea iure patronatus cadat, *cap. Consultationibus 19, ext. De iure patron. cap. Querelam 24, Ext. De elec.* Videmus & testamentum iure factum, non ob id infirmari, quod testator postea in furorem actus sit, *§. praterea. Instituit. Quibus non est permiff. fac. testam.*

Exaudienda autem hæc Regula est, nisi effectus ejus, quod legitime factum est, ad impossibile redigatur. Quâ ratione extinguitur stipulatio, si res, quæ utiliter in stipulationem deducta est, sacra, vel religiosa fiat, vel aliter commercio hominum eximatur sine facto promissoris. *§. item contra Instit. De inutilib. stipular. l. Si ex legati 23, D. De verbor. oblig.* Item evanescit stipulatio seruitutis

ad fundum meum, si priusquam re ipsa constituitur seruitus, aliena vero fundum, vel etiam partem fundi mei pro indiviso, eod quod seruitus sine fundo, vel pro parte fundi mei, quam pro indiviso retineo, constitui non possit, *l. Pro parte 11, D. De seruit. l. Pluribus 146, §. fin. D. De verb. obligat. Si simile est in sponsalibus, quæ licet legitime contracta sint, distrahuntur tamen per subsequens cum alia matrimonium, *cap. Sicut 22, cap. penult. Ext. De sponsalib. nec non propter affinitatem, c. Ex lituria, 8, cum cap. seq. De eo qui cogn. consang. religionis ingressum, cap. 2, cap. Ex publico. De convers. conjug. de quibus latius in Summa de sponsalib.* Quia his speciebus, sponsalia in eum casum deveniunt, quo effectum sortiri non possunt. Coniuge, quæ supra diximus, ad *cap. Non firmatur sup. eod.**

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

Recurte ad ea, quæ tradidimus ad *c. Privilegium 7, & ad c. Qua à jure 28, sup. eod.*

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

AD id, licet fides ab altero addicta iurejurando firmata sit; adhuc eam fidem frangen-
ti, fides impune non servatur, *cap. 3. Ext. De iurejur.* cum semper tacite interesse intelligatur, si modo alter fidem à se promissam servaverit. Unde in locatione, si conventum sit inter locatorem & conductorem, ne intra certa tempora conductor de re conductâ in vitis expellatur; & si contra factum fuerit, decem pœnæ nomine præstentur; non committetur stipulatio pœnæ, si pensionem non solvent conductor, & rem ut oportebat, non coluerit; cum hæc tacite insint conditioni, *l. Quare 54, §. inter locatorem D. Locati, junct. l. 3, C. eod. tit.* Similiter in societate, ubi ea ad certum tempus contracta est, & lex ei adjecta, ut si legi non paruerit socius, alter recedat ante tempus renunciet Societati, *l. Si convenerit 14, D. Pro socio.* Quâ ratione & feudo receptum est, ut si dominus feloniam, id est, perfidiam vel improbitatem commiserit in vasallum suum; vasallus iuste illi denegeret servitia feudalia: siquidem nature

feudi in est fides mutua, sive, ut appellant recipere ea domini & vasalli, *cap. Unico, §. domino committente, Si de feudo defuncti cont. cap. unico in fin. De forma fin. lib. Secundâ.* Acque hæc & similia dubitationem non habent, ubi culpa alterius fides non servatur. At si casu vel necessitate quis impeditur sit, majoris questionis est: sit puro nihil magis illi fidem servari oportere, per textum in *l. Ex conducto, 16, alias incipit l. Si uno §. item cum quidam D. Locati, præsertim in contractibus innominatis, in quibus pœniteatix locus est, l. Si pecuniam 5, in prin. D. De condit. ob caus. Non obstat textus in *l. In civile 12, C. De revind.* quo loco venditor, pretio non soluto ab emptore, agere non potest, ut res vendita & tradita, sibi restitatur, sed agit ad pretium. Quia id sit, quod venditor fidem emptoris secutus, per traditionem abdicaverit à se dominium rei & in emptorem transfulerit, *§. vendita, Instit. De rerum divu;* unde superest tantum, ut ad pretium agat.*